



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Castoriensi Et Zaratoriensi Episcopis Ecclesiae Thebanæ suffraganeis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

authentico super hoc confecto plenius continetur, & eandem terram in vita Marchionis ipsius pacificè possiderint & quietè, postmodum carissimus in Christo filius noster Imperator Constantinopolitanus illustris ad partes illas accedens, supradictam terram eisdem abstulit violenter, quam quidam nobilis R. de Tribalia Citerensis diocesis ejus nomine detinere præsumit in eorum præjudicium & gravamen, & licet propter hoc sæpius miserimus scripta nostra, dicti tamen fratres suam nequiverunt hæcenus consequi rationem. Cùm igitur dictos fratres, qui pro servitio Iesu Christi multis laboribus se exponunt, nolimus ab aliquibus indebitè prægravari, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus detentorem ejusdem castri & aliarum &c. *per totum us in alia usque in finem.* Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum ut in alia per totum.

CAPITULO THEBANO.

Epist. 138.
De electione
Archiepiscopi
Thebani.

THebana dudum Ecclesia viduata pastore, A. Archidiaconus vester cum Gerardo de Besentun. & I. cognato suo propria vota direxit in venerabilem fratrem nostrum Davaliensem Episcopum pro vestro Pontifice postulandum, appellationem ad sedem apostolicam interponens ne ceteri Canonici procederent ad electionem aliam faciendam. Qui tandem convenientes in unum, appellatione hujusmodi pro inutili reputata, dilectum filium A. Capellanum carissimi in Christo filij nostri Constantinopolitani Imperatoris illustris concorditer in Archiepiscopum elegerunt. Postmodum autem electione ipsius venerabili fratri nostro Constantinopolitano Patriarchæ præsentata de more, cùm sibi demum per testes ab Archidiacono & ejus sociis introductos de appellatione interposita constitisset, negotium ipsum ad nostram præsentiam destinavit. Constitutis itaque partibus coram nobis, & quæ fuerunt hinc inde proposita plenius intellectis, postulationem de memorato Episcopo tantummodo factam à tribus, quamquam persona commendabilis haberetur, non duximus admittendam, electionem verò de Capellano præfato à sedem regulariter celebratam, quia studiis & meritis potioribus juvabatur, justitia confirmavimus exigente. Quocirca discretionem vestram per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus eidem electo tam in spiritualibus quàm temporalibus reverentiam & obedientiam debitam im-

pendatis. Datum Laterani IV. Nonas Octobris, anno terdecimo.

CASTORIENSI ET ZARATORIENSI
Episcopis Ecclesie Thebanæ suffraganeis.

THebana dudum Ecclesia viduata pastore, A. ipsius Ecclesie Archidiaconus cum Gerardo de Besentun. & I. cognato suo propria vota direxit in venerabilem fratrem nostrum Davaliensem Episcopum pro Thebano Pontifice postulandum, appellationem &c. *ut in alia per totum usque exigente.* Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus eidem electo reverentiam & obedientiam debitam impendatis. Datum ut in alia per totum.

Epist. 139.
Venerabilibus
fratribus
Episcopis
Thebanæ
suffraganeis

PRIORI SANCTI IOHANNIS
in Monte Bononiensi, & Archiepiscopo
de Campo Gallano Mutinensis diocesis, &
G. Doctore decretorum Bononiæ Commo-
ranti.

EX litteris piæ memoriæ Hugueonis Episcopi & dilectorum filiorum Archiepiscopi & Præpositi Ferrariensis intelleximus quòd cùm olim inter B. tunc Abbatem & monachos sancti Bartholomæi de Ferrara gravi dissensione suborta, ipsi omnes communicato consilio in eundem Episcopum compromiserint, jurantes in omnibus ejus observare mandata, quæcunque faceret pro statu ipsius Ecclesie reformando, proponentibus demum monachis & conversis quòd sub ejusdem Abbatis cura nunquam proficere posset Ecclesia memorata, idem Abbas in manu ipsius Episcopi administrationi & abbatiæ spontaneus resignavit, assentiens quòd alius eligeretur ad ipsam. Ejus itaque cessione recepta, dictus Episcopus annuam sibi præbendam cum consensu constituit monachorum, quandam nihilominus ei Capellam assignans, & curam sibi conferens animarum. Cùmque postmodum Capitulum vota sua in duos fratres & præfatum Episcopum contulisset, ipsi sancti spiritus gratia invocata dilectum filium Iohannem tunc Priorem sancti Danielis, virum idoneum, elegerunt concorditer in Abbatem, sub cujus tandem regimine cùm Ecclesia proficere incepisset, memoratus B. diabolica suggestione compulsus ad abbatiam cui sic renuntiaret aspirans, litteris apostolicis ad Archiepiscopum de Greczano subripuit, facti præmissi tacita veritate. Qui rationabiles substituti Abbatis exceptiones recusans admittere per procu-

Epist. 140.
Archiepiscopo
Boniensi
Archiepiscopo
Ferrariensi

Epist.
Con-
stantinopolitano